



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Micrologvs|| De Ecclesiasticis|| Observationibvs.||**

**Bernoldus <Constantiensis>**

**Antverpiæ, 1565**

58. De hebdomada Pentecostes

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63426)

I EI V N I V M æstiuale semper in Pen-  
 tecoste est celebrandum. Nam orationes  
 5 & lectiones de eodem ieiunio, agunt de  
 spiritu sancto. Sicut ergo ieiunium ver-  
 nale semper infra quadragesimam est ce-  
 lebrandum, eo quòd quadragesimalia ha-  
 beat officia, ita & istud infra festum  
 10 spiritus sancti vnde habet officia aptè ce-  
 lebratur. Sic enim sancti patres de vtro-  
 que ieiunio constituisse leguntur. In ieiu-  
 nio Pétecostes genua non flectimus, iux-  
 ta Romanum ordinem. Quidam etiam  
 15 ad Missam ieiunij, nec Gloria in excelsis  
 præmittunt, sed incongrue, cum eadem  
 missa de tertia mutetur ad sextam. Sunt  
 enim tres horæ in die, ex dominica pas-  
 sione ad celebranda mysteria consecratae  
 20 videlicet, Tertia, in qua linguis Iudæorū  
 condemnatus est. Sexta, in qua manibus  
 gentiliū crucifixus est. Nona, in qua emi-  
 fit spiritum. Inter quas hora tertia in fe-  
 stiuis diebus maximè obseruatur, ea for-  
 25 tasse ratione, quia inter reliquas passionis  
 horas tempori Dominicæ resurrectionis  
 siue Natiuitatis propinquior esse videa-  
 tur.

Horæ tertia,  
 sexta, ac nona.

tur. Sexta vero, vel nona ieiuniorum officijs deputantur Excepto autem in Cena Domini. In sabbatho Paschæ & Pentecostes, nunquam alicui missæ Gloria in excelsis ascribitur, nisi illi, quam & festi-  
uè ad tertiam celebrare debemus. Ergo non incongruè & Missis huius ieiunij Gloria in excelsis subtrahimus, quas non festi-  
uè ad Tertiam sed ad Sextam obser-  
uare solemus. Quidam autem satis aptè

Apud quosdam  
duæ Missæ, quæ  
do dieb. Ieiuniorum  
festa occurrunt.

in hoc ieiunio duas Missas cantat, vnam ad Tertiam solemniter, cū Gloria in excelsis, vt festo spiritus sancti satisfaciunt: Altera post sextam pro ieiunio; sicut festo S. Thomæ; satisfaciunt in ieiunio hyemali, & festo sancti Matthæi in ieiunio Autumnali. Item sancto Marco in Latania maiore, & annuntiationi sanctæ Mariæ in quadragesima, videlicet vt prior Missa festo, secunda vero satisfaciat Ieiunio, ad quod etiam non gradualia, vt antiquitus, sed Alleluya cantamus.

De